



320
20

Z. n. 18.



18. iij.



14

A 3411

MAJESTATIS
 SUMMÆQUE POTESTATIS
 IMMEDIATAM ORIGINEM DIVINAM
 SUB RECURSUM
NATALITIORUM
 AUGUSTISSIMORUM
 SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
CHRISTIANI
 DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC
 MONTIUM ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAVII
 THURINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ NEC NON UTRI-
 USQUE LUSATIÆ COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGÆ
 COMITIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBIÆ
 DYNASTÆ RAVENSTEINI &c. &c. &c.
 PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRITORIS
 NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI

ADSERENS
 AD
ORATIONEM SOLEMNEM
 IN AUDITORIO ILLUSTRIS AUGUSTEI MAJORI

d. XXIV. Februarii,
 GRATIOSE BENIGNEQUE
 AUDIENDAM

**ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMAE MINI-
 STROS UTRIUSQUE REIP. PROCERES LITERARUMQUE**
 FAUTORES ET CULTORES UNA CUM CIVIBUS ILLUSTRIS
 AUGUSTEI ORNATISSIMIS
 OFFICIOSISSIME HUMANISSIMEQUE

INVITAT
M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS. TH. B.
 CONS. SAXO QUERF. JLL. AUGUSTEI RECTOR & P. P.





* * *
Rdua de Summa Potestate Civili mota questio est. & non sine ani-
morum commotione superiori Seculo aliquoties in diversas
partes & a Politicis & a Theologis agitata. *As Majestas immediata*
origine su à Deo, ita ut Deus hunc ordinem immediate ipse instituo-
ris & potestatem imperandi immediate & bodienū conferat personis
imperio natis & defunctis, electis & in thronū evectis. Facile mit-
to sententiam *Stephani Junii Bruti* falsam Auctoris falsi & Pseu-
donymi, & nondum forte satis detecti, qui in Vindicis contra

Tyrannos Majestatis, immediatam originem à Populo derivat, in quo ipsam secuti
sunt *Job. Milton* in Defensione Populi Anglicani contra *Salmasium*, *Vivriarius* alique qui
majestatem *originaliter, radicaliter & realiter* in populo esse tuerunt. Paululum mitior
& melior est sententia *Jll. Puffendorffii* in tr. de Jure N. & G. l. 7. c. 3. §. 1. statuentis
summum Imperium proxime & immediate resultare *ex pactis*, quibus civitas coaluit,
posita sc. in populo submissione, & in altero Rege sc. vel Principe submissionis accepta-
tione, tanquam *qualitatem quandam moralem*. Nec tamen dici posse, quod Prin-
ceps jure tantum humano imperium habeat, *cum Deus velit & probeat imperia*: nam
cum in magna hominum multitudine Lex naturalis commode exerceri nequeat citra
imperium civile, patere DEUM, qui *legem istam* hominibus injunxerit, præcipere
quoque, ut Societates civiles instituantur, quatenus tanquam media excolende legi natu-
rali inserviant. A *Puffendorffii* mente non nisi modo loquendi *D. Kulpisius* disce-
dere judicatur *Jagero* in Ann. ad Grot. de Jure B. & P., distinguens inter *causam univer-*
salem & proximam; Scilicet Deum imperii civilis esse *causam universalem* asserit, ut
pote à quo imperandi & parendi ordo sit institutus: *Proximam* vero esse pacta homi-
num in civilem societatem coeuntium; ex illis enim Majestatem tanquam qualita-
tem *moralem* resultare. Alii *JCti* æque ac Theologi distinguunt inter *n. mediatum &*
immediatum: & summam potestatem non immediate esse à Deo statutum, *sed media-*
te. Quorum mens à supra nominatorum Auctorum sententia haut multum differt. Alii e
contrario plurimi ex Politicis & summis Theologis Majestatem *immediate* esse à Deo
defendunt. *V. Gerbardus* LL. Th. de Mag. Pol. §. 32. seq. *Hafenfferus* LL. Th. p. 612.
Gravderus in A. C. p. 341. *Lobbechius* in A. C. d. 8. *Rudrauffius* Inst. Th. de Mag. Pol.
Carpzovius in II. in L.S. p. 453. *Hülsemannus* Brev. Extens. c. 2. p. 657. & in Manual. p. 612.
Soberzerus in Breviar. Hülsemanniano En. & Auct. c. 20. p. 1551. *J. A. Osiander* Colleg.
Syst. Loc. XXII. th. 3. P. 8. p. 7. & *idem* ad Grot. de J. B. & P. l. 1. c. 3. *Dannbauer* Hod. Pap.
p. 785. &c. *H. G. Masius* Int. Principum p. 34. *Niehenek* disp. pec. Quibus ex *JCti* ac-
cedunt *Salmasius* in Def. R., *Zieglerus*, ad Grot. de Jure B. & P. l. 1. c. 3. *idem* circa Regi-
cid. Angl. p. 53. & de Juribus Maj. l. 1. c. §. 49. *Becker* Synops. Jur. Publ. *Hemmingius*,
Amselius, *Hornius* &c. Unum tantum atque alterum audiemus. In *Hülsemanni* Bre-
viario Enucleato & Aucto hæc legitur Thesis p. 1551. *Causa instituentis immediata* (Magi-
stratus Politici) est Deus, eadem *immediatione* causalitatis, qua instituit statum Ec-
clesiasticum & conjugalem. Non per primigeniam aut *originalem* collationem hujus po-
testatis in Rempubl., qua *luminatur* et *multiplicatione* hominum edocēta, deinceps
consultum duxerit, *transferre* potestatem singulis competentem in unum vel plures,
ordinis & *conservanda* societatis causa. Sic quoque *D. Carpzovius* l. c. p. 453. *uti*
de ipso Regimine Seculari certum est & ex Scriptura probatum, *istud* *immediate* esse
à Deo institutum, nec ullam creaturam ex principis secum natis aliquid ad constitu-
tionem ejus contulisse: ita etiam ipsa collarior & applicario potestatis ad certam sub-
jectā, seu compositionem ejus cum subjectis, non nisi à Deo est, adeo ut qui in *particulari* eam
habet & *exercet*, proxime & *mediate* à Deo eam habeat, & non loco populi eligentis
sed ipsius Dei eandem *exercent*. Neque tamen desunt, qui Via media incedere aut volunt
aut videntur, dum partim *mediate* partim *immediate*, Majestatem à Deo esse scribunt.
In hæc sententiam Celeberrimus Rostochiensum Theologus, *D. Johannes Fechtius*
in Theol. Thetico-Polemica cap. 12. §. 7. & 8. scribit: Est autem Magistratus à Deo
partim *immediate*, partim *mediate*. *Immediate*, quando eundem ipse sua voce vel
con-

constituit, vel aliis nominat, ut Moſen, Saulem, Davidem. Quo & quodammodo referatur, quando Heroicis & extraordinariis donis homines exornat, adeoque præ aliis vocandos innuit. Omnia item cum ejuſmodi donis convenientia, ubi tamen ſuperſtitioſa a Divinis accurate ſecernenda ſunt. *Mediate* a Deo Magiſtratus eſt, duplici modo 1. quando precibus extra ordinem a Deo impetratur, qui tunc hominum vota & conſilia ita dirigit, ut non poſſint non, in perſonam, cui imperium a Deo deſtinatum eſt, cadere. 2. per naturalem naturæ inſtinctum & operam ſecundum illum inſtinctum impenſam. Nec enim exiſtimandum eſt, ex neceſſitate tantum propellendi injurias, quæ *Thoma Hobbeſii* ſententia ſunt, ſed naturæ quodam impetu homines in Societatem coire ſibi que conſtituere imperantes. Quod pluribus l. c. confirmat *Fechtius*. In quam ſententiam etiam *Scherzerus* in *System. Th. XXVI. p. 719.* alique Theologi de Magiſtratu loquuntur. In qua ſententiarum diverſitate, ſi quid, ſalva Virorum Doctorem auctoritate, impræſentiarum dicendum ſit, præprimis advertendum duco a) Potestatem, quæ in Regibus vocatur Majeſtas, ſi *abſtractivè* conſideretur, non eſſe aliquid *phyſici*, qſ. a Deo infundatur Regibus aut Principibus per modum qualitatis, ſed eſſe *morale* quæ, ortum ex diſpoſitione divina, qua per legem quoque fancivit, ut Potestas hæc ſit ſancta & inviolabilis, & cui reſiſti non debeat. Sicut ergo legum auctoritas & vis coactiva non eſt aliquid phyſici, ita nec potestas & vis imperativa in Regibus vel Principibus eſt aliquid phyſici, ſed morale. vid. *Niebeck* l. c. Deinde b) non negandum eſt, prima etate hæc divinam ordinationem ſubſtituiſſe in *patria poteſtate & familiarum ſepe ampliffimarum gubernatione* per Patres familias, quibus liberi, ſervi, ancillæ &c. paruerunt, non tam per naturæ inſtinctum, quam per expreſſum Dei mandatum Patriarchæ a Deo datum, & in præcepto IV. decalogi repetitur. Quæ Dei ordinatione mox in dominationem majorem ſuper integras civitates, ditiones, regiones & populos excrevit, ipſius Dei diſpoſitione, qua de reſtatur Gen. 9, 6, & 10, 9, 10. Quod ergo c) naturæ inſtinctu etiam homines ad hæc dominationem aſpirare leguntur, & magis *impii*, quam pii Patriarchæ, non tollit Dei ordinationem, ſed potius eam ſupponit: neque modus arripiendi dominationem ſæpe malus, reddit ordinationem divinam malam, nec poteſtatis abusus Hof. 8, 4. removet a Deo inſtitutum uſum. Nam ſicut in Conjugiis inſtinctus naturæ, quo ſponte coiviſſe homines videntur, non negat expreſſam Dei ordinationem & inſtitutionem: nec quod pravo more modoque fit, illam evertit. Sic idem eſt ſentiendum circa magiſtratum, quem ſponte in variis caſibus admiſſiſſe & elegiſſe creduntur populi multi, & imperantes arripiſſe. Nam unius rei plures poſſunt eſſe cauſæ. Licet ergo d) non legatur in primis *Geneſeos* capitibus hæc divina ordinatione Magiſtratus, illa tamen ſupponitur & per Gen. 9, & per præceptum morale IV. decalogi, & per alia Scripturæ loca clara & perſpicua, ut *Proverb. 8, 15. 16. Per me* (inquit *Sterna Sapientia*) *regnant Reges & Dominatores decernunt juſtitiam, per me Principes principatum gerunt & omnes judices terre &c.* & in quibus Deus dicitur conſtituere Reges, dare judices, fundare imperia &c. Item: *omnis poteſtas non niſi eſt a Deo Rom. 13, 1. q.* ubi ſi dicatur eſſe a Deo permiſſione & approbatione, non autem inſtitutione & ordinante, aperte luditur & textui ſacro vis inferitur. Quæ ipſa e) Scripturæ Loca, præter primam ordinationem, porro inferre advertuntur: *Majeſtatem ſummamque poteſtatem* hodiernum ab ipſo Deo conſerri *immediate*. Ex illis enim hæc argumenta eliciuntur. *Quicumque per Sapientiam invocatam regnant & principatum gerunt, illi ſuam poteſtatem habent non ab hominibus, ſed ab illa increata Sapientia inſtituente.* Atqui *Prov. 8, 15. 16. E.* Et iterum: quemadmodum huic Sapientia l. c. tribuitur creatio, quæ eſt immediata operatio: ita per Sapientiam hæc Reges regnant & principes Principatum gerunt *immediate per homines.* prius l. c. dicitur, & poſterius ex eo patet, quia, ſi regnant per homines, ſequitur, homines proximus inſtuere in illam poteſtatem quam Deus, quod textui in l. c. adverſatur. Et rurius: *quæcumque poteſtas non niſi eſt a Deo, illa immediate eſt a Deo.* Atqui *Rom. 13, 1. E.* Illud enim ei *non* excludit omnem cauſam coefficientem *Vid. Marc. 13, 32. Gal. 2, 16. &c.* Porro: *ſi vis obligativa in Legibus Regum & Principum non niſi a ſolo Deo immediate provenit, ſequitur, quod etiam Potestas ſit immediate a Deo: prius*

pro-

probatur, quia conscientia ratio, quam attingit obligatio legum Regum & Principum Rom. 13, 2. seq. ad solum Deum pertinet. Neque obstat quod in constitutione Magistratus saepe interveniat Ministerium hominum. Nam hoc non tam attingit *collationem potestatis*, quam *personarum designationem*, sive haec fiat per electionem, sive per successione[m], sive per jus belli &c. Hanc aliter ac in Ministerio sacro ii, qui Jus patronatus, jus denominandi, eligendi, vocandi &c. habent, personam offerunt & designant, ipsam autem facultatem tractandi sacra Ministerio interna & propria non conferunt, sed illam ordinarie Ministri in Ordinatione per impositionem manuum & per preces presbyterii accipiunt, & immediate a Deo. Ita etiam Populus, Proceres & Status eligunt personam & designant Regem vel Principem, Deus vero iisdem potestatem confert, non vero populus. Nam quod populus non habet, dare alteri non potest. Quae vero de reali vel radicali aut originali potestate populi, in oppositione ad potestatem personalem saepe incautius disputantur, saepius excussa sunt. Vid. C. M. Colorus disp. pec. de divisione Majestatis in personalem & realem. Habuerunt igitur saepe *) & hodiernum habent in personis designandis & imperio admovendis suas partes populus & primates populi, sed ipsam Majestatem isti a populo designati & electi Reges & Principes non nisi habent a Deo Rom. 13, 1. Non minus tamen etiam saepe Deus ipsas personas illas immediate nominavit & vocavit isque hanc summam potestatem dedit, quod exempla *Mosis, Josue, Saulis, Davidis* &c. probant. Hinc *) isti Theologi, qui partim *mediate*, partim *immediate* Magistratum a Deo esse scribunt, non Majestatem ipsam & potestatis collationem mediante subordinata aliqua causa agente principali & constituyente conferri a Deo sentiunt, sed id tantum velle videntur, quod intercedente sapientie & hodie communiter fere causa Ministeriali, quae personam designat & offerat, Deus Reges & principes constituat, isque potestatem conferat. Quod inde facillime percipitur, quia de Magistratu aliter loquuntur *concretive* sumto, & aliter de Magistratu *abstractive* accepto, seu quando de ipsa Majestate & summa potestate loquuntur. Ita *Fechterius* in Syll. Controv. disp. 44. §. 5. suam mentem ipse declarat: *Magistratus imperium, inquit, immediate est a Deo, non a populo Majestatem radicaliter possidente*. Prov. 8, 15. Rom. 13, 1. Est enim Magistratus *Veritatis Dei, non populi* Rom. 13, 4. Sir. 6, 5. Et D. *Scherzerus* non diversum a se ipso & a Praeceptore suo *Hülsemanno* in Brev. Enund., sensisse in System., demonstrat D. *Alberti* disp. in A. C. p. 501. seq. Objectiones vero *Jll. Ruffendorffii* & D. C. *Thomasii* rationeque contra hanc sententiam diluit D. *Mafius* l. c. p. 42. seq., D. *Weidnerus* Coll. disp. p. 545. seq. & L. *Niebeck* l. c. &c. Sed finem considerationi huic impono verbis D. *Mafii* l. c. p. 38. *Immediate a Deo esse, vel excludit omnes causas intermedias etiam Ministeriales, vel tantum excludit causas efficientes ac instituentes seu conferentes Subjecto Majestatem: non priori sed posteriori modo hic in immediate sumitur. Unde quatenus Deus mediate h. e. mediante populi suffragio, successione, occupatione Majestatem conferat, ipsa tamen illa majestas, ideo recte dicitur immediate a Deo, quia non tantum ratione prima originis a Deo constituta est, sed & a Deo ita confertur ut in nulla causa intermedia habeat subjective & radicaliter, nec dicendum sit, a populo Regibus conferri Majestatem. Itaque haec nostra sententia & originem Majestatis primam & dependentiam ejus soli Deo resignat, adeoque & sanctitati & auctoritati mire consultat.* Atque in his nos quoque perhissimus, quaeque praesenti Festo Natali Serenissimi Principis ac Domini, DOMINI CHRISTIANI, Principis ac Domini & Nutrivis nostri Clementissimi, nos mire afficiunt, animosque nostros pia veneratione imbuunt, in qua etiam *Ideam Principis Dei in Divina Eminentia, Sapientia & Clementia* delineaturi sumus Oratione solemni: ad quam gratiose benigneque audiendam *Illustres Serenissima Aula Ministros, Utriusque Reipubl. Proceres, Literarumque Fautores ac Cultores, nostrosque Jll. Augustei Civis Praestantissimos*, ea qua par est observantia ac humanitate invito, atque, ut frequentes adint, enixissime rogo.

P. P. d. XX. Febr. MDCCXXIII.

LEUCOPETRAE Litteris G. A. Legii, Aul. & August. Typ.

1794

Nr 885.
40

ULB Halle
001 556 347



3

So.

Witt

2. C.





A 3411

14

MAJESTATIS
 SUMMÆQUE POTESTATIS
 IMMEDIATAM ORIGINEM DIVINAM
 SUB RECURSUM
 NATALITIORUM
 AUGUSTISSIMORUM
 SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
 DOMINI
 CHRISTIANI

DUCIS SAXONIÆ JULIÆ CLIVIÆ AC
 MONTIUM ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ LANDGRAVII
 THURINGIÆ MARCHIONIS MISNIÆ NEC NON UTRI-
 USQUE LUSATIÆ COMITIS PRINCIPIS HENNEBERGÆ
 COMITIS MARCÆ RAVENSBERGÆ ET BARBLÆ
 DYNASTIÆ RAVENSTEINII &c. &c. &c.
 PRINCIPIS AC DOMINI ET NUTRITORIS
 NOSTRI LONGE CLEMENTISSIMI
 ADSERENS

AD
 ORATIONEM SOLEMNEM
 IN AUDITORIO ILLUSTRIS AUGUSTEI MAJORI
 d. XXIV. Februarii,
 GRATIOSÆ BENIGNEQUE
 AUDIENDAM

ILLUSTRES AULÆ SERENISSIMÆ MINI-
 STROS UTRISQUE REIP. PROCERES LITERARUMQUE
 FAUTORES ET CULTORES UNA CUM CIVIBUS ILLUSTRIS
 AUGUSTEI ORNATISSIMIS
 OFFICIOSISSIME HUMANISSIMEQUE
 INVITAT

M. CHRISTIANUS REINECCIUS SS. TH. B.
 CONS. SAXO QUERF. JLL. AUGUSTEI RECTOR & P. P.

